

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0655
	0653
	0659
	0649
82	0664
De progressu peregrinorum et ascensu eorum contra Jerusalem.	0644
Vicesima prima die, quac est Praxedis Virginis, orto sole, qui jam cacumina et rupium prominentia culmina aureo splendore perfuderat, incepérunt Sarraceni impatienter magnis clamoribus excitare nos: aliqui clamabant in eorum ligna roy, roy; aliqui trica, trica; aliqui cabalca, cabalca; aliqui in nostra lingua, cujus aliqua verba didicerant, clamabant usf, usf, rita, rita, quod etiam praecedentia signant. Surreximus ergo et elevatis oculis solis lumen vidimus in altis culminibus, eramus enim in profundo et undique montibus scopolosis cincti fuimus. Bene autem ex quiete confortati fuimus et refocillati, et aquam hausimus in flascos nostros de fonte Salvatoris, et a loco recessimus trahentes asinos ad manus, quia declivus praeceps ibi erat ad longum spatium sursum, nec in bestiis sedentes manere poteramus et incepimus mane sudare adhuc absente solis fervore. Interea ad quandam petram venimus, quae stabat ut elibanus ad latus, de qua dicunt, quod sit thaben Boen, i. e. lapis Boen, filii Ruben, qui facit terminum terrae filiorum Juda, secundum Hieronymum de distantiis locorum. De quo lapide habetur Josuae c. 18. Ex quo tamen textu videtur, quod magis inferius ultra castellum Adammin sit lapis iste. Sed parum refert, sive sit ille vel alias, nos antiquam rei memoriam ibi mirati sumus.	0704 0604 0754 0554 0154

Ende

Anfang

De loco annuntiationis beatae Virginis ipsi Joachim factae.

Boen lapidem postergavimus et in ascensu clivi vidimus in dextro latere domum vetustam inter scopulos et arbusta, quae in eo loco stat, in quo pastores Joachim, patris beatissimae Mariae Virginis, greges pascebant, (B) ad quos ipse Joachim confugit, quando opprobrium sterilitatis sibi fuit publice objectum et munera ejus de altari abjecta in templo, et ibi in tristitia degit, Deum devotis precibus pulsans, ut sibi misereatur et patientiam ei dare dignaretur. Quodam autem